

De missis audiendis

Capitulum quintum de missis audiendis,

¶ **Q**uanto ius parochiale consistit in hoc q̄ in diebus dominicis et festiuis populus audiat missam in sua parochiali ecclesia.

¶ **A**d cuius evidenciam queritur **U**trum quilibet parochianus sub pena peccati mortalis ad audientiam missae in sua parochia diebus dominicis et festiuis sit astrictus. **S**olutio. Non audire missas diebus dominicis et festiuis in ecclesia sua parochiali potest esse peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando nullum. Tunc enim est peccatum mortale quando obmittit hoc ex contemptu vero vel interpretatio. Et voco contemptum interpretatiuum quando sine causa legitima alibi audit, et presumit contemptum si non habet licentiam a proprio sacerdote vel non habet causam legitimam, tunc enim peccat mortaliter, quia contemnit et contra preceptum superioris et iuris venit, ut notant doctores, in c. ut dominicus, de parochiis, et alie, paroch. Et admittentes

alienum parochianum in casu predicto committunt sine dolo, quodammodo furtum vel rapinam, et tenent restituere omnes oblationes ab eo perceptas. Tunc autem est peccatum veniale cum alibi audit: non ex aliqua causa omnino legitima sed ex aliqua mentis infirmitate vel ex aliqua passione qua mouet contra plebanum, vel ex aliqua pigritia, quae forte ecclesia alia est vicinior, vel ex aliquo alio zelo non indequaque bono. Demum autem nullum est peccatum si ex causa legitima contemneret proprium sacerdotem, puta quia est notorius peccator: fornicator vel excommunicatus, tunc enim non peccaret: quia hoc casu non est proprie contemptus sed iuris autoritate facit, ar. c. preter, et ca. nullus, xxxij. dist. 2 in c. vestra, de cohabit. cle. 2 muli. vel ex aliqua alia causa legitima audit alibi, puta propter nimiam distantiam loci vel infirmitatem vie vel insidias hostium etc. Vel ex aliquo bono zelo alibi audit, puta audit apud fratres mendicantes, quia deuotius et frequentius ibi celebratur tunc enim non peccat secundum doctores. Honestum